

www.e-rara.ch

Joannis Clerici Ars Critica

Le Clerc, Jean

Lipsiæ, M. DCC. XIII

Zentralbibliothek Zürich

Shelf Mark: Rn 284

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-59745>

[S. 1 - 50]

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

❁ (o) ❁

I

ARTIS CRITICÆ

P A R S III.

De Emendatione locorum corruptorum, de Libris suppositiciis à veris dignoscendis, ac Judicio de stylo & caractere Scriptorum ferendo.

S E C T I O I.

De emendatione locorum corruptorum.

C A P U T I.

De Origine Mendorum.

I.



I Deo Optimo, Maximo visum fuisset, antiquissimorum mortalium ita adflare animos, ut inter ea, quæ invenerunt vitæ utilia ac necessaria, fuisset pulcherrima artium mechanicarum Typographia; non modo innumera Veterum monumenta, quæ ob paucitatem exemplarium interciderunt, manibus nostris nunc tererentur; sed illa etiam, quæ vim vetustatis omnia perdentis effugerunt, ad nos multo emendatiora pervenissent. Cum enim olim, dum libri manu describerentur, singula exemplaria non aliter possent emenda-

si, quam si a viro docto & diligente adcurate legerentur, quod longum erat, & difficile; nunc unus atque alter, iterata tuius exemplaris lectione, millena aliquot exemplaria emendare facile possunt. Sed quoniam, ut ille ait, * *nulum habemus in præterita jus, præterquam oblivionis*; iis missis, quibus remedium nullum adferre possumus, videndum nobis superest, an sit Ars aliqua, qua possimus loca Veterum in mendo cubantia dignoscere, ab iis, quæ sana sunt, & veram in ea lectionem revocare. Hoc certe profitentur CRITICI a se fieri posse, atque hac in re potissimum Artem suam sitam esse dicunt; nec dubium est, quin sapissime id præstiterint, quod polliciti erant, & sanitatem innumeris locis ægris restituerint.

2. Quod illi factitarunt, id in hac Criticæ nostræ Parte, ad certas Regulas revocare, & in Artis, quatenus licebit, formam redigere, consilium nobis est. Ut autem tutiorem ac breviorrem viam ineamus, qua possimus pervenire ad cognitionem veræ lectionis locorum corruptorum; quærendum ante omnia, quibus potissimum modis corrumpi potuerint. Cognita enim morborum causa & origine, facilius & certius curari poterunt.

3. Menda ergo quatuor causis originem suam debent, LIBRARIIS, CRITICIS, IMPOSTORIBUS & VETUSTATI, quæ omnia paullatim adterit. I. LIBRARIORUM *incuriæ*

aut

* *Plinius Lib. II. 6. 7.*

aut *imperitia*, pleraque sine dubio menda ir-
 pferunt, quæ nos nunc exercitos habent; cum
 enim plerosque libros describerent, ab iis lon-
 ge maximam mendorum segetem provenire
 necesse fuit. *Incuria* peccata tot & tanta sunt,
 ut difficillimum sit, sibi ab ea cavere. Novit
 enim quisque, si quid exscribat parum adten-
 tus, non modo se adfina vocabula, dum ani-
 mus peregrinatur, miscere; sed diversa plane
 scribere, detrahere, addere, & nescio, quot
 peccata admittere, quorum rationem ipse post-
 ea reddere non posset, nedum ut alii eam de-
 prehendere queant. *Imperitia* quoque in de-
 scribendo, si magna sit, ut sine dubio magna
 sæpissime fuit in Librariis, monstra etiam men-
 dorum peperit; cujus exemplorum ingentem
 copiam omnes MSS. Codices, omnes Critico-
 rum libri suppeditant.

4. Sed variis modis imperiti, aut indiligen-
 tes Librarii in errorem delabi potuerunt; quos
 indicasse, quoad licebit, inutile non erit. Cum
 alii dictarent, alii scriberent, ab utrisque va-
 ria provenire potuerunt menda. Ut à *dictan-*
te incipiam, ille, licet statuamus emendato Co-
 dice esse usum, si non fuit satis peritus, sæpissi-
 me decipi potuit, dum non bene legit, quæ
 bene scripta erant. Cum enim manu exara-
 rentur omnia, multi que sine dubio non pulcre
 pingerent litteras, ut hodie fit, loca fuere, in
 quibus legendis homines rei aut Lingvæ non
 satis periti cespitare potuerunt. Voces adfines,

aut similes litteras facile miscebant. Si vox quæpiam bis repeteretur, & forte ad eam usque vocem, ubi primum occurrebat, dictassent; sæpe fiebat, ut, omissis interjectis, ea, quæ vocem secundo repetitam sequerentur, priori proxime subjicerent; aut etiam integros versus, aliud agentes, omitterent. Præterea dictantis, & festinantis, lucri causa, vox non semper fuit satis clara, aut pronuntiatio satis distincta; ita ut scribentes, licet adtenti, quid dixisset, non satis intelligentes scriberent, quod sibi audivisse videbantur, ad finesque sono litteras, syllabas, voces confunderent. Vocabula varia, apud Græcos præsertim, aut eodem, aut pæne eodem modo pronuntiabantur, quamvis diversissima, ut postea ostendemus; eaque a scribentibus, aut imperitis, aut parum adtentis, facile poterant misceri; cum præsertim celeriter scribentibus, & sequentia adtendentibus, non satis esset temporis ad videndum, utrum vox, quam scripserant, loco conveniret, aut ad interrogandum dictantem.

5. Præterea cum *didans* videret sæpe, in margine exemplaris, quo utebatur, quiddam scriptum; poterat suspicari, verba esse a Librario festinante ommissa, quæ Criticus ad oram postea scripsisset; præsertim si commode possent inferi, ita ut orationis series iis nequaquam turbaretur. Attamen ejusmodi verba sæpe interpretationes sunt Grammaticorum, aut eorum, qui Codicibus illis usi erant; quo factum,

ut

ut tam sæpe Critici in contextum orationis admissa *glossemata*, qverantur.

6. Dubium non est, quin Librarii, qui vitam tolerabant quæstu, quem in describendis libris faciebant, pluribus simul dictarent, ut una opera haberent ejusdem operis exemplaria plura; sed fuerunt etiam sine dubio pauperiores, qui vendebant ea, quæ ipsi ex libris, nemine dictante, *descripserant*; quæ in re, eadem fere irreperere potuerunt menda, quæ vitio *dictantis* debentur, exceptis iis, quæ ex mala pronuntiatione oriabantur. Præterea dum integra commata, aut etiam integras periodos legunt ac postea scribunt, festinandi causa; quid mirum, si quidpiam omittunt, aut synonymas voces pro aliis scribunt? quod in omnibus antiquis Scriptoribus animadvertent, quicumque varias lectiones, e veteribus MSS. Codicibus collectas, paulo adtentius expendent. Innumera sunt ejusmodi, in variis lectionibus Veteris Testamenti, ex Versione LXX. Intt. & Novi, ut omnibus liquerebit, ex inspectis collectionibus dudum & non ita pridem editis. Postremis præsertim sæculis, quicumque imperiti veteris orthographiæ, ex antiquis Codicibus quidpiam transcribebant, facile falli poterant, dum alias esse voces putarent, quam re ipsa erant.

7. Hanc in rem observandum, non semper apud omnes Gentes, eandem fuisse rationem pingendorum characterum, aut accentuum adscribendorum. Apud Latinos antiquissimis

temporibus, character erat quadratus & majusculus, qualis in veteribus Inscriptionibus & MSS. etiamnum cernitur; nisi quod figuræ litterarum calamo tam eleganter pingi non soleant, ac scalpro. Deinde invaluit scriptura, quæ *Langobardica* dicitur, rotundior & similitior huic nostræ, quæ hodie utimur. Hac exarati sunt plerique omnes MSS. Codices, qui nunc existant in Bibliothecis, perpauci vetustiore illo Romano. Creditur ita dici ea Scriptura, quod MSS. plerique ejus ævi, quo *Langobardi* Italia potiebantur, eo characterum genere sint conscripti. Sunt & qui *Saxonicam* scripturam aliasque huic addant; sed non tantum est earum a priore discrimen, ut seorsim expendi debeant. Vide, hac de re, *Joannis Mabillonii* Lib. V. de re Diplomatica, ubi omnium earum scripturarum specimina profert.

8. Sunt in Veteribus, seu majusculis litteris, aliquot sat similes, præsertim si parum eleganter pingantur; quæ non difficulter a Librariis rerum ipsarum imperitis, nec vocum significationem tenentibus, misceri potuerunt. Cujus rei ratio, in emendationibus, maxima habenda est. Similia animadvertenda de litteris Langobardicis. Sæpe factum, ut menda irreperent in Codices Romano vetere characterē scriptos, quæ in Langobardicos transfusa sunt; deinde & nata nova eorum progenies, ex Langobardica scriptura; quibus mendis plurima nunc loca usque adeo depravata sunt, ut in integrum restitui nulla ingenii ope possint. 9. Græ-

9. Græcorum etiam characterum aliqua videtur esse facta mutatio. Nam cum antiquissimi quadrati essent, quales in Inscriptionibus videntur, postea inter scribendum videntur rotundiores esse facti. Quia de re consulenda *Palaeographia Græca* doctissimi Monachi Benedictini Bernardi de Montfaucon, Lutetiæ nuper edita. Sed præterea accentus, & spiritus, qui in antiquissimis Codicibus nulli erant, in recentioribus sunt additi; unde nata etiam novamenda, dum hæc perperam adpinguntur. Vide, apud eundem, veterum Exemplarium MSS. specimina.

10. Apud Hebræos, ante tempora captivitatis Babylonica, in usu erat id litterarum genus, quod a Phœnicibus acceperant, & quod vulgo *Samariticum* vocatur, eo quod id servarint Samaritæ. Deinde is character in Assyriacum mutatus est, in Captivitate, ut demonstrarunt viri doctissimi, & potissimum *Eud. Cappellus*, in *Diff. de Litteris Hebræorum*. Sed & nos quædam diximus, in *Dissertatione de Nummis characteribus Punicis signatis*, XI. *Bibliothecæ Selectæ* Tomo. Cum Hebræorum Librarii, aut *Scribæ*, homines essent, quemadmodum Græcorum & Latinorum, menda similia admittebant, ut postea liquido ostendemus.

11. Verum aliud animadvertere licet, in Codicibus antiquissimis, cum Græcis, tum Latinis, quod & in Hebræicis fuisse, ante Massoretharum tempora, nonnulli Judæi fatentur; voces,

nimirum, nullis interstitiis se junctas, nec ullis interpunctionibus separatas esse; aut, minimum, quam plurimas ita conjunctas, quasi essent una vox; quo factum, ut non modo falsis interpunctionibus, ab hominibus non satis peritis, corrumperetur postea sensus; sed etiam ut syllabæ conjungerentur, quas divelli oportebat; aut contra divellerentur, quæ conjungendæ erant. Hinc intelligere licet, munus *Anagnostæ*, temporibus illis, non fuisse indocti profus hominis, cum ejusmodi Codicibus utebantur; nam ex tempore orationem interpositis moris dividere, cum divisa in Codice non esset, cujusvis certe non erat. Insigne ejus rei exemplum legere est apud *A. Gellium*, Lib. XIII, c. 30. *Laudabat, inquit, venditabatque se quispiam in Libraria sedens, homo inepte gloriosus, tamquam unus esset, sub omni cælo, satirarum M. Varronis enarrator; quas partim Cynicas, alii Menippeas adpellant; & jaciebat inde quædam non admodum difficilia, ad quæ conjicienda adspirare posse neminem dicebat. Tum forte eum ego librum ex iisdem Satiris ferebam, qui ὁδοποιῶν inscriptus est. Propius igitur accessi & nosti, inquam, magister, verbum illud, scilicet, e Græcis vetus; musicam quæ sit abscondita eam esse nulli rei? Oro te legas hos versus pauculos, & proverbii istius, quod in his versibus est, sententiam dicas mihi. Lege, inquit, tu mihi potius, quæ non intelligis, ut ea tibi ego enarrem. Quonam, inquam, pacto legere ego possum, quæ non adsequor? Indistincta namque sient &*

confusa, quæ legero & tuam quoque impediunt intentionem. Tunc alius etiam, qui ibi aderant, compluribus idem comprobantibus desiderantibusque, accepit a me librum veterem fidei spectata, luculente scriptum; accepit autem inconstantissimo vultu & moxissimo. Sed quid deinde dicam? Non audeo hercle postulare, ut credatur mihi. Pueri in ludo rudes, si eum librum accepissent, non ii magis in legendo deridiculi fuissent; ita & sententias intercidebat, & verba corrupte pronuntiabat.

12. Ad hæc omnia, si accedat incuria dictantis, aut scribentis, aut utriusque simul; potuit alter dictare, quod cogitabat, non quod erat in libro, aut alter scribere id, quod animum ejus avocabat; quod nobis contingit, cum animus distrahitur aliis cogitationibus. In idem varix luxationes ac transpositiones, sequentium ætatum Criticis crucem fixuræ, provenire potuerunt.

13. Præterea & hoc sæpe accidit, ut a festinantibus Librariis per compendium multa scriberentur, omissis aliquot syllabis, quæ Lectori conjiciendæ relinquebantur. Eæ vero vocum contractiones sæpe male a Librariis aut Criticis intellectæ pepererunt maxima menda; cum in nominibus adpellativis, tum etiam in propriis.

14. Antiquissimis temporibus, cum litterarum studia in Græcia atque in Italia etiamnum flourerent, Librariis pæne solis aut Criticis imperitis, vel æquo audacioribus tribui poterant omnia menda; sed cum barbaries Orientem,

sub Imperatoribus Christianis jam invasisset, & una cum ea crevisset mirum in modum Monachorum numerus; hi cœperunt veteres libros in Monasteriis exscribere, cumque plerique homines indocti essent, præsertim ad humaniores litteras quod adinet, quippe in legendis Liturgiis potissimum occupati, menda innumera admittebant. Quod fiebat in libris Græcis, apud Græciæ & Asiæ Monachos, idem facitabant in Occidente alii Monachi, ad libros Latinos quod spectat. Hinc fit, ut perpauci sint Græci, aut Latini Codices MSS. qui non scateant mendis, præsertim qui complectuntur res non ita vulgo notas.

15. Igitur cum antiquissimi Librarii parum emendate Codices describerent, iique Codices postea in manus Monachorum ignariorum inciderent; quid mirum, si depravatissimi pervenerunt in manus nostras? Cum autem inventa est Typographia, viri docti, pro illo ævo, qui ex MSS. primum typographicis litteris descripta ediderunt Veterum monumenta, sæpe nimis ingenio suo indulserunt, in emendandis, quæ vitiosa ipsis videbantur; unde nata in Editionibus, ex primis illis expressis, nova menda; quæ non nisi inspectis denovo Codicibus MSS. hoc & præteritis sæculis, tolli a viris doctis potuerunt. Sed & horum multi imperitia, aut audacia nimia, quæ conjecturas suas, quasi exploratas lectiones, in Veterum contextum admiserunt, eorum Scripta conspurcaverunt;

runt; ne jam loquar de Typothetarum mendis, quæ vix possunt omnino vitari.

16. II. Quot & quanta orta sint ex Librariorum aut indiligentia, aut imperitia menda, satis, ut opinor, liquet ex superioribus. Hæc cum CRITICI jam olim animadverterent, hoc in se laboris susceperunt, ut exemplaria optimorum quorumque Scriptorum manu sua emendarent; cum in gratiam amicorum, tum etiam lucelli causa, quod exemplaria ab eruditissimis Grammaticis emendata majore pretio emerentur. Sed cum hi Critici non omnia æque intelligerent, nec pari omnes judicio valerent, sæpe quæ emendatione indigebant, quasi sana transvolarent; aut contra violentas manus iis, quæ recte posita erant, adtulerunt. Quæ omnia exemplis singillatim postea comprobabimus.

17. III. Sed & homines nequam; quos non Criticos vocaverim, cum Critica nequaquam uterentur, sed FALSARIOS; data opera, varia in Veterum scriptis mutaverunt, aut iis detraxerunt, vel adsuerunt, ut legentes fallerent. Quod in antiquitatibus Ethnicis rarius contigit, in quibus operæ pretium non erat fallere; sed in Ecclesiasticorum Scriptorum antiquissimis monumentis, quæ contendentes Christiani in suas quique partes trahere conabantur, frequenter accidit; ut in hujus Operis Præfatione jam monuimus, & aliis exemplis manifestis postea ostendemus. In vita Lan-

franci

franci Benedictini primum Monachi, deinde Cantuariensis Archiepiscopi, edita cum ejus Operibus Lutetiæ, anno MDCXLVIII. hæc leguntur: *Quia Scriptura, Scriptorum vitio, erant nimium corruptæ, omnes tam Veteris, quam Novi Testamenti Libros, nec non etiam Scripta SS. Patrum* SECUNDUM ORTHODOXAM FIDEM STUDUIT CORRIGERE.

18. IV. Ad hæc omnia accessit VETUSTAS, quæ factum, ut antiquissimæ membranæ & chartæ laceræ, vel ita situ adfectæ, ut literæ sæpe deletæ essent, ad posteros pervenerint. Hoc modo, sine culpa ulla Librarium, Criticorum, aut Falsariorum, plurimæ lacunæ in Veterum Scriptis factæ sunt, quæ sæpe nullo ingenio expleri possunt; aut si non incommodè expleantur, desiderium tamen in nobis verorum Scriptoris verborum relinquunt. Exemplum rem postea clariorem efficient.

CAPUT II.

In quo Mendorum antiquitas, Veterum testimoniiis, exemplisque demonstratur.

I.

QUAMVIS, quæ a nobis superiore Capite dicta sunt, certissima sint, ut cum ex ipsa re jam constat, tum etiam exemplis postea liquebit; attamen quia multi de sinceritate atque integritate Codicum sacrorum & profanorum judi-

cant,

cant, qui non tam ratione moventur, quam exemplis, & præsertim auctoritate; age, superiora, hoc etiam modo, extra omnem dubitationis aleam collocemus.

2. Ut a veteribus Hebræis initium faciamus, ab iis Libros Sacros non satis diligenter servatos esse, si dixerò, nihil dicam, quod non facillimum sit creditu; ob frequentes eorum ad Idolatriam defectiones, quibus fiebat, ut Prophetarum Scripta negligenter. At ipsa historia sacra rem, sine ulla confectariorum ope, nos docet, cum narrat Librum Legis, qui in Templo ad servabatur, & septimo quoque anno publice legi debebat, diu delituisse; nec, inventus cum fuisset, sine admiratione, a Rege alioque pio, Josia, fuisse lectum. Vide 2. Paral. XXXIV, 15. Si Rex, quem ex Lege oportebat ejus exemplar habere, quod quotidie lectitaret, nullum habuit; non est credibile, vulgo Jerosolimæ ejusmodi libros emendos, aut describendos prostitisse.

3. Quod si, stante ac florente regno Judaïco, tam negligentes fuere Judæi Legis suæ, cum non modo deberent ejus exemplaria multa habere, quæ diurna ac nocturna manu versarent, sed etiam facile possent; non est verisimile eos, non modo accisis rebus, sed plane profligatis, cum in alieno solo, procul a patria, duram & inopem vitam agerent, majorem curam adhibuisse, ut multos ac emendatos haberent Codices; aut cura sua efficere potuisse, quod, stante Republica, a viris piis fieri non potuerat.

Imo

Imo vero multi Patres credidere, libros sacros, in Captivitate Babylonica, plane intercidisse. Duorum dumtaxat testimonium profereimus. Prior erit *Clemens Alexandrinus Stromat.* * *Lib. I.* quem credibile est, rem habuisse a Judæis sui ævi: *Καὶ τῇ Ναβουχοδονόσορ αἰχμαλωσίᾳ, διαφθαρεῖσάν τῶν γραφῶν, κατὰ τὰς Ἀρταξέρξε τῶν Περσῶν βασιλείᾳς χρόνους, ἐπιγενέσθαι Ἐσδρας ὁ Λευίτης Ἱερεὺς γενόμενος, πάσας τὰς παλαιὰς αὐτῆς ἀνανεύμεν* & *προεφήτευσεν γραφάς: etiam in captivitate Regis Nabuchodonosor, cum periissent Scriptura, Esdras Sacerdos, temporibus Artaxerxis Persarum Regis, ad flatu omnes veteres iterum renovans prophetavit Scripturas.* Idem antea † dixerat; sed paullo obscurius. *Scriptor Synopses, quæ exstat in secundo Athanasii volumine, in Synopsi. Lib. XII.* qui est Esdræ Ἱστορεῖται δὲ καὶ τὸ περὶ τῆ Ἐσδρα, ὅτι ἀπολεμένων τῶν βιβλίων, ἐξ ΑΜΕΛΕΙΑΣ τῶν λαῶν, & διὰ τὴν πολυχρόνιον αἰχμαλωσίαν, αὐτὸς Ἐσδρας Φιλόκαλος ὢν, καὶ εὐφυῆς, & ἀναγνώστης, ἐφύλαξε πάντα καθ' ἑαυτὸν, & λοιπὸν προήνεγκε, & πᾶσιν ἐκδεδωκε, & ἔτιωσ διασώζεται τὰ βιβλία: narratur & hoc de Esdra, cum periissent Biblia

NEGLIGENTIA populorum, & propter diturnam captivitatem, ipsum Esdram, cum esset rerum honestarum studiosus, bonæ indolis, & lector, servasse omnia apud se, & postea protulisse, ac omnibus edidisse, quo pacto servata sint Biblia. Similia

pos-

* P. 342. Ed. Coccon. an. 1688.

† P. 329.

possent ex † Chrysofomo & ** Theodorito proferri.

4. Quæ non adfero, quod credibile mihi fiat, Esdras ex memoria, aut adflatu omnes libros veteres restituisse; sed quia videtur omnino hæc historia orta esse, ex aliqua vera narratione. Nimirum, corrupti erant Libri Sacri, negligentia populorum & longinquitate temporum, eosque Esdras recensuit, quatenus licuit. Hæc enim est opinio vulgo inter recentiores Judæos recepta. *Elias Levita*, in Præf. tertia sui *Massoreth hammassoreth* fol. 44. Ed. Seb. Munsteri, ita eam exponit "בגלות ראשונה אכרו רוב וגו' in captivitate prima, perierunt plurima exemplaria, distracta sunt, paucaque incorrupta manserunt, & præterea qui noverant biblicos libros, mortui erant; ut coactus fuerit Esdras & Concilium ejus reformare coronam, secundum vetustatem suam, & emendare libros, Vide & sequentia.

5. Verum antiquiores Judæi, post hæc etiam tempora, non satis emendatos fuisse libros suos, fassi sunt; forte propter negligentiam eorum, qui postea vixerunt. Ita *Demetrius*, apud *Aristeam* p. 13. Ed. nuperæ Oxoniensis, de libris Judæorum, qui in Bibliotheca Alexandrina deerant, Ptolemæum adloquitur: Τῶ νόμος τῶ Ἰσραηλίων βιβλία, σὺν ἑτέροις ὀλίγοις τισὶν, ἀπολείπῃ: τυχαίῃ γὰρ Ἑβραϊκοῖς γράμμασι καὶ Φωνῇ λεγόμενα. ΑΜΕΛΕΣΤΕΡΟΝ ὅ, καὶ ἕκαστος ὑπάρχει.

† Homil VIII. in Ep. ad Hebr. ** Præfat. in Cantico.

χῆ, ΣΒΕΗΜΑΝΤΑΙ, καθὼς ὑπὸ τῶν εἰδόντων προσ-
 αναφέρεται, προνοίας γὰρ βασιλικῆς ἔτετευχε.
 δέον δέ ἐστι τὰ ταῦτα ὑπάρχειν παρά σοι διηκρι-
 σωμένα: *legis Judaica libri, cum paucis quibus-*
dam aliis, desunt. Dicuntur enim esse Hebraicis
litteris & lingua; sed negligentius, nec ut me-
rentur, exarati, sicut ab intelligentibus perhibetur.
Regia enim providentia nondum iis contigit. Opor-
tet autem ut & illi sint, apud te, diligenter descri-
pri. Hæc pæne verbatim repetit *Josephus Ant.*
Jud. Lib. XII. c. 2. habetque etiam: συλλέ-
θηκε δ' αὐτὰ ἢ ἀμελέστερον ἢ ἔχῃ σεσημάνθαι:
contigit eos negligentius, quam oportuit, exarari;
 nam pro ἔχῃ, quod nihil hic significat, legen-
 dum ἐχρήν, aut ἔδῃ, oportebat, quod respondet
 τῷ ὑπάρχειν, *Aristea*, quod aliquando signifi-
 cat *promereri*. Hanc etiam historiam præstare
 nolim, sed hoc saltem hinc patet, ante versio-
 nem LXX. Intt. non solitos esse Judæos, magna
 diligentia, Codices Sacros describere.

6. Neque hoc figmentum esse, aut Hellenistæ
 Judæi vanam opinionem, ostendit ipsa LXX.
 Interpretum Translatio; ex qua manifesto li-
 quet, eos exemplari emendatissimo, aut adcu-
 rate descripto usus non esse. Frequenter enim
 falluntur, dum aliter legunt, quam oportet, aut
 ad fines figura litteras miscent; ut cum in *Criti-*
ca Sacra, tum in *Notis Criticis*, multis ostendit
Lud. Capellus, & nos quoque, in Commentario
 in Pentateuchum ceterosque V. Testamenti li-
 bros, non raro demonstravimus. Scio, aliter

fenſiſſe *Joan. Buxtorſium*, virum Rabinica eruditione inſtructiſſimum; ſed in rebus Criticis plane hoſpes fuit, & ab omnibus p̄ne peritioribus Interpretibus cum Veteris, tum Novi Teſtamenti, hac in re, diſſentit.

7. Cum autem Judæi, aliquot poſt ſæculis, animadverterent, Codices non ſatis emendatos circumferri; quæſitis antiquiſſimis, ſed exiguo numero, ex iis Maſſoram conſtarunt, atque deſcriptum iri poſthac Codices ſacros decreverunt; quod quando & quomodo factum ſit, docuit is, quem modo laudavimus, *Lud. Cappel- lus*, in *Arcano punctationis*, ejuſque vindictis. Idem etiam oſtendit, non aliter de Judæorum Criticis, quos illi *Maſſorethas* vocant, quam de aliis judicandum; adeoque illorum iudicium a quovis viro erudito iterum ad examen revocari poſſe.

8. *Samaritæ* etiam, qui Pentateucho veteribus, ut antea diximus, Hebræorum litteris exarato utuntur, paſſi ſunt in ſuum Codicem multa menda illabi; ut paſſim obiter demonſtravimus, in *Comment. in Pentateuchum*. Habuerunt quoque illi ſuos Criticos, qui multos locos aut emendarunt, aut emendare conati ſunt; ſed & nonnullos corruerunt, ut exemplis poſtea liquebit.

9. Nunc ad Græcos libros veniendum eſt, eosque cum ſacros, tum profanos; & a poſterioribus quidem initium faciemus, quia minus eſt, ad eos quod adtinet, difficultatis. Nemo eſt,

est, cui sanum sit sinciput, qui, re ipsa spectata, in dubium revocare possit, an facile potuerit fieri, ut menda admitterent Græcorum Librarii, ob rationes, quas superiore Capite adtulimus. At si umquam inspexerit manuscriptos Græcos Codices, etiam optimæ notæ, & antiquissimos; aut etiam virorum eruditorum, qui illustrandis veteribus Scriptoribus Græcis operam dedere, Scripta nonnulla legerit; non modo potuisse fieri, ut multa menda irrepserint in MSS. Codices, sed revera irrepsisse illico fatebitur. Qui hæc in animum revocare neglexerit, nec umquam considerarit, & tamen volet de iis, quæ diximus, judicare; is vero non rationibus, sed helleboro indigebit.

10. Adferam tamen duo loca doctissimi Geographi *Strabonis*, ex quibus adparebit, novas non esse de corrupelis Librariorum querelas, & quantum diligentiam solerent Græci adhibere, ne iis fallerentur. Igitur ille Lib. XIII. p. 419. ubi agit de *Aristotelis* & *Theophrasti* libris, de quæ mendis, quæ vetustate, & malorum Criticorum opera, in illos irrepserant, pergit his verbis de Librariis loqui: βιβλιοπῶλαι τινες ΓΡΑΦΕΥΣΙ ΦΑΥΛΟΙΣ χρώμενοι, καὶ ἐκ ἀντιβάλλοντες, ὅπερ καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων συμβαίνει τῶν εἰς πράσιν γραφόμενων βιβλίων, καὶ ἐνθάδε, καὶ ἐν Ἀλεξανδρείᾳ: *Multum etiam hanc in rem & Roma con- tulit — & Bibliopole quidam LIBRARIIS MALIS usi, neque conferentes* (descripta exemplaria cum Archetypis) *quod & aliis accidit*
libris,

libris, qui vendendi causa scribuntur, & hic (Romæ)
& Alexandria.

11. Cum *Strabo* de Nilo scripturus esset, & conquisivisset eos, qui ante ipsum de eo flumine egerant; invenit inter alios, *Eudorum* & *Aristonem* Peripateticos; sed exemplaribus suis satis fidere non audebat, ut testatur, nisi eos cum aliis contulisset; quæ tamen cum non posset reperire, eos Scriptores inter se contulit: Ε γὰρ γέν, inquit Lib. XVII. ἀποράμεν ὁ ἀντιγράφων εἰς τὴν ἀντιβολὴν, ἐκ πατέρων πατέρων ἀντέβαλον: ege igitur destitutus exemplaribus, ad collationem faciendam, alterum cum altero contuli. Qua in re Geographus propriis utitur vocibus. Glossæ Veteres: ἀντιβάλλω βιβλία, confero. Ἀντιβάλλω, recognosco.

12. Proprium hoc munus fuit Criticorum, quod necesse fuit, inter Græcos, exerceri, ex quo lectitare antiquiorum monumenta, cum aliqua voluptate, cœpere; nam ejusmodi lectionis studiosis nihil antiquius est, quam ut habeant emendata exemplaria. Certe nulla est voluptas legentium ea, quæ non intelliguntur, aut quæ nescimus, an edita sint eo modo, quo a nobis leguntur, ab eo, qui primus ea scripsit. Sic cum *Alexander* secum ferre statuisset *Iliadem*, quasi τὴ πολεμικῆς ἀρετῆς ἐφόδιον, virtutis bellicæ viaticum, ἐλαβεν Ἀριστοτέλης διορθώσαντα, ἣν ἐκ τῆ νάρθηκος καλῶσιν, accepit ab *Aristotele*, qui emendarat, quam ex narthecio vocant. Fuit, nimirum, ejusmodi editio, quam ita vocabant,

cabant, quia exacta dicebatur ad id exemplar; quod *Aristoteles* emendarat, quodque *Alexander* in narthecio circumferre solebat, ut docet in ejus vita *Plutarchus*.

13. Hinc factum, ut multi crediderint, *Aristotelem* primum Criticam invenisse. *Dio Chyostomus* Orat. LIII. de *Homero*: * Ἀριστοτέλης, αἰφ' ἔφασκεν ἡ κριτικὴν τε καὶ γραμματικὴν ἀρχὴν λαβεῖν, ἐν πολλοῖς διαλόγοις περὶ τῶ ποιητῶ διεξείσι, θαυμάζων αὐτὸν, ὡς τὸ πολὺ, καὶ τιμῶν: *Aristoteles*, a quo aiunt Criticam & Grammaticam initium cepisse, in multis dialogis de Poëta agit, eum summopere miratur, & magni facit. Sed ante hæc tempora fuerant, qui *Homeri* lectione delectarentur, & qui proinde emendata ejus Poëmatum habere exemplaria conarentur. Itaque antiquiores videntur fuisse Critici, licet eorum nomina ad nos non pervenerint. Quod liquet ex *Æschinis* Dial. III, 7. ubi vide, quæ a nobis adnotata sunt. At ab ætate *Aristotelis*, cœpit hæc scientia florere, † potestque ab illo veluti *διαδοχῆ* Criticorum, non secus ac Philosophorum, tradi. Sed nunc id non agimus, ut Criticorum Historiam texamus; satis nobis erit, si ipsam Artem illustrare, aliqua ex parte, possimus.

14. Liquet ex superioribus hanc non fuisse novam Eruditorum querelam, de negligentia aut imperitia Librariorum, a quibus Ethnicorum Græci Codices descripti sunt. Cum vero

Pag. 753. Ed. Mor 6.

† Vide G. J. Vossium in: *Aristarcho* Lib. I. c. 6.

ab

ab iisdem, aut similibus Librariis describerentur Exemplaria Versionis LXX. Interpretum, & Novi Testamenti; non erit mirum, si dicamus, ab iis similia in Sacris admissa peccata. Neque enim putandum est, homines lucri cupidos multo majorem curam adhibuisse, in describendis Libris Sacris,quam profanis. Imo vero quo plura vendi poterant horum exemplaria, quam illorum, postquam nomen Christianum crevit; eo plures, imperitioresque Librarii, aut Monachi ei rei operam dabant, & magis festinabant. Inanes non esse has conjecturas, manifesto ostendunt Codices MSS. Veteris & Novi Testamenti, quorum nullum invenire licet, qui non scateat mendis. Qua de re consulendæ sunt variarum lectionum in utrumque collectiones, in Bibliis Polyglottis Londinensibus, & in Editione Novi Testamenti *Milliana*. Cave autem putes, postremis dumtaxat sæculis, ita se gessisse Librarios; jam enim, ab antiquissimis temporibus, similia quæsti sunt Patres.

15. Eorum aliquot loca sunt hic a nobis adferenda, in eorum gratiam, qui cum numquam eos legerint, de hoc negotio, ex metaphysicis quibusdam notionibus judicare aliquando adgrediuntur. Sic ergo *Origenes*, vir non modo sui sæculi doctissimus, sed & corruptorum Codicum diligentissimus emendator, in Comment. in Matthæum pag. 439. Edit. Huëtianæ, laudato loco e Ps. CXVII. Hebraïce: *דומי מו*

ὡπὸ Ἑλλήνων συνεχῶς γραφόμενα τὰ εὐαγγέλια, μὴ εἰδῶτων τ' ἀλέκτον, συγκεχύσθαι ἐν τοῖς κατὰ τὸ τόπον ἔχουσιν αὐτὰ ἀπὸ προειρημένῃ ψαλμῶ: *Evangelia, a Græcis dialecti (Hebraicæ) ignavis frequenter exscripta, corrupta esse mihi videntur in hoc loco, in iis, quæ habebantur ex memorato Psalmo. Idem Comment. in Joannem p. 151.* Οὐ καταφρονητέον ἔν τ' περὶ τὰ ὀνόματα ἀκριβείας τῶ ἀπαραλείπῳ βεβλομένῳ συνίεναι τὰ ἅγια γράμματα τὸ μέντοι γε ἡμαρτῆσθαι ἐν τοῖς ἑλληνικοῖς ἀντιγράφοις τὰ περὶ τ' ὀνομάτων πολλαχῶ, καὶ ἀπὸ τῶτων ἂν τις πεισθεῖν ἐν τοῖς εὐαγγελίοις: *contemnenda non est adcurata circa nomina diligentia, ei qui voluerit probe intelligere sanctas litteras. Peccatum quidem frequenter fuisse, (in Evangeliiis) ad nomina quod adinet, in Græcorum exemplaribus, facile quis hinc persvadeatur.*

16. Sed est utroque illo loco insignior alius, in Comment. in Matth. p. 381. ubi suspicatur hæc verba Matth. XIX, 19. *Et diliges proximum tuum, sicut teipsum*, addita fuisse Evangelistæ; quod an verum sit, nunc quidem non quæram, nec rationes Origenis expendere adgrediar. Tum vero subjicit: πολλὴ γέγονεν ἡ τ' ἀντιγράφων διαφορὰ, εἴτε ἀπὸ ῥαθυμίας τινῶν γραφέων, εἴτε ἀπὸ τόλμης τινῶν μοχθηρῶν τ' διορθώσεως τ' γραφομένων, εἴτε καὶ ἀπὸ τ' τὰ ἑαυτοῖς δοκῶντα ἐν τῇ διορθώσει προσθέντων ἢ ἀφαιρέτων: *magna fuit exemplarium discrepantia, sive propter negligentiam quorundam librariorum, sive propter audaciam quorundam, male corrigent-*

rigentium quæ scripta erant, sive etiam propter eos, qui in correctione, quæ sibi videntur, addunt, aut detrahunt.

17. Hæc ille, de Novo Testamento, de Vetere vero ita: τὴν μὲν ἔν ἐν τοῖς ἀντιγράφοις τῆ παλαιᾶς διαθήκης διαφωνίαν, Θεὸς διδόντος, εὖρομεν ἰάσασθαι, κριτηρίῳ χρησάμενοι ταῖς λοιπαῖς ἐκδόσεσι. τῶν γὰρ ἀμφιβαλλομένων παρὰ τοῖς ἐβδόμηκοντα, διὰ τὴν τῶν ἀντιγράφων διαφωνίαν, τὴν κρίσιν ποιησάμενοι ἀπὸ τῶν λοιπῶν ἐκδόσεων, τὸ συναῖδον ἐκείναις ἐφυλάξαμεν, ἕ τὰ ἐξῆς discrepantiam vero, quæ occurrebat in exemplaribus Veteris Testamenti, Deo favente, invenimus qui sanaremus, reliquis editionibus usi, unde iudicium ferremus; nam cum judicassetus de iis, quæ dubia sunt apud LXX. Intt. propter varietatem exemplarium, ex ceteris editionibus, servavimus id, in quo consentiebant, &c.

18. At diligentia Origenis non obstitit. quominius paullo post Lucianus & Hesychius similes recensiones instituerent. ob mendorum multitudinem & editionum varietatem. Operæ pretium est audire, quæ de Luciano habet Suidas: Τὰς ἱερὰς βίβλους θεασάμενος πολὺ τὸ νόσον εἰσδεξαμένος, τῆ γε χρόνῳ λυμνημένῳ πολλὰ τῶν ἐν αὐταῖς, καὶ τὴ συνεχῆς ἀφ' ἑτέρων εἰς ἕτερα μεταθέσεως καὶ μὲν τοῖ καὶ τινῶν ἀνθρώπων, πονηροτάτων, οἱ τῆ ἑλληνισμῶ προεισηκείσαν, παρατρέψαι τὴ ἐν αὐταῖς θελησάντων νέον, καὶ πολὺ τὸ κίβδηλον ἐνσκευασαμένων, αὐτὸς ἀπάσας ἀναλαβὼν ἐκ τῆς ἑβραϊδος ἐπανεσώσατο

γλώσσης, ἣν καὶ αὐτὴν ἐς τὰ μάλιστα ἦν ἠκριβηκῶς, πόνον τῆ ἐπανορθώσῃ πλείστον εἰσενεγκάμεν. *hic cum animadvertisset, sacros libros multa adulterina recepisse, quod tempus in illis multa depravasset, & propter continuam ab aliis in alia translationem. Quin etiam cum improbissimi quidem homines, qui Hellenismo favebant, eorum sensum pervertere voluissent, & multa adulterina in eos introduxissent, ille omnes libros adsumptos ex Hebraïca Lingua restituit in integrum, ea accurate percognita, & multo labore in emendatione collocato. Vide eundem, in voce νοθεύς; unde liquet, hæc ex Symeone Metaphraсте, in Martyrio Luciani, esse perita. Fortasse, ut suspicantur viri docti, & Origenes, & Lucianus & Hesychius corruerunt ipsi non raro LXX. Intt. dum Codices corruptos emendare nituntur. Verum hoc ad nostrum institutum nihil facit, qui hoc unum hic agimus, ut ostendamus, ab antiquissimis temporibus, multa a Librariis in Sacris Libris corrupta fuisse; quod ex adlatis locis liquet.*

19. Possemus hisce adjungere multa *Hieronymi* loca, ex quibus idem comprobaretur. Sed in re clara temperandum est stylo, possuntque Lectores ejus Prologos adire in Scripturæ libros. Videantur præsertim Prologi in libros Paralipoménon, & in quatuor Evangelia. Sed & postea nonnulla, prout res postulabit, ex eo loca proferemus. Aliorum quoque Patrum testimonia adjicere liceret, sed profecto & res

& res ipsa & quæ jam dicta sunt ac dicentur, factis haberi debebunt, aut nescio, quid sit factis.

20. De Codicibus Latinis similia dici posse, ac de Græcis, nemo negaverit; & similiter corruptos esse docent omnes omnium Gentium Critici, qui MSS. Codices tractarunt. Aliquot tantum hac de re loca Veterum proferam; ex quibus liquerebit, quam antiqua sint menda, & quantum ea de re fuerint dudum Eruditorum querelæ. *Livius* Lib. XXXVIII. C. 55. indicata, ex *Val. Antiate*, summa auri & argenti, quam *Antiochus* dedisse dicebatur *L. Scipioni*, & quæ falsa videbatur: *malim*, inquit, *librarii mendum*, quam *mendacium* *Scriptoris* esse. *Cicero* vero Ep. ad *Quintum* fratrem Lib. III. Ep. 5. De *Latinis* vero (libris, quos sibi comparari cupiebat *Quintus*) quo me vertam, nescio, ita mendose & scribuntur & veniunt. *Symmachus* de servis suis, a quibus *Plinium* transcribi curaverat, Lib. I. Ep. 18. ad *Ausonium*: Si te amor habet naturalis *Historiæ*, quam *Plinius* laboravit, en tibi libellos, quorum presentanea copia fuit; in qua, ut opinor, opulentia eruditioni tuæ negligens veritatis librarius displicebit. Sed mihi fraudi non erit emendationis incuria. Malui enim tibi probari mei muneris celeritate, quam alieni operis examine. *Palladius* in Præfatione libri de *Institutione*: Quod volumina hæc ruris colendi, serius quam jusseras, scripta sunt, librarii manus segnior fecit; cuius ego tarditatem numquam maligne estimo. Scio enim, quo frequenter inclinæ argutia famulo-

rum. Malo operam ejus exspectare, quam timere.
 — *Velocitas procurrit in facinus, segnities figuram benignitatis imitatur.* Non ergo nos soliverimus, Librarios nimium festinasse. Nonnulla ex hisce locis & alia quædam, hanc in rem laudavit *Joann. Woverius Polymathix* Cap. XVIII. ab initio. Ipsum, si videatur, adeat Lector.

21. Hinc factum, ut eruditi Grammatici gloriam, saltem apud posteros, nacti sint, ex collatione veterum librorum, diligentique eorum emendatione; ut *Valerius ille Probus*, cujus meminit *Suetonius*, in libro de Illustribus Grammaticis, c. 24. *Legerat in Provincia*, inquit, *quosdam veteres libellos, apud Grammatistam, durante adhuc ibi antiquorum (Codicum, ut videtur) memoria, necdum omnino abolita, sicut Romæ (ubi libri recens exscripti præferebantur veteribus) Hos cum diligentius repetere, atque alios deinceps cognoscere cuperet; quamvis se contemni, magisque opprobrio legentibus, quam gloriæ & fructui esse animadverterat, nihilominus in proposito mansit; multaque exemplaria contracta emendare, ac distinguere, & adnotare curavit, soli huic, nec ulli præterea Grammatices parti deditus.* Alii similia fecerunt, quorum nomina collegit *J. Ger. Vossius* in *Aristarcho*, Lib. I. c. 6.

22. Libri, qui veteres & emendati habebantur, cariore pretio veniebant, quæ in re ne fallerentur studiosi a Librariis, sæpe Grammaticos adhibebant; qui libros, quos cupiebant emere,

re,

re, prius inspicerent. Discere hæc licet ex historiola, quæ habetur apud *A. Gellium*, Lib. V. C. 4. Apud sigillaria, forte in Libraria, ego & *Julius Paulus*, vir memoria nostra doctissimus, confederamus; atque ibi expositi erant *Annales Fabii*, bonæ atque sincera vetustatis libri, quos venditor sine mendis esse contendebat. Grammaticus autem quispiam de nobilioribus, ab emtore ad spectandos libros adhibitus, reperisse unum in libro mendum dicebat; sed contra Librarius in quodvis pignus vocabat, ni in una nuspiam littera delictum esset &c. Quin & magna pecunia a litterarum studiosis conducebantur libri emendati ab eruditis Grammaticis, si quid difficultatis occurreret. Exemplum ejus rei suppeditat idem *Gellius* Lib. XVIII. c. 5. *Antonius Julianus* contendebat, scripsisse *Ennium*, in quodam versu quadrupes eques, non equus; quod probabat non tantum *Virgilii* & *Lucilii* locis, sed etiam vetusto codice, de quo ita loquitur: *Librum summæ atque reverendæ vetustatis, quem fere constabat Lampadionis manu emendatum, studio pretioque multo, unius versus inspiciendi causa conduxì, & eques, non equus, scriptum in eo versu inveni.*

23. Hæc cum ita sint, nemo, qui non sit in Veterum lectione plane hospes, negare sustinerit, posse in eorum Scriptis superesse menda, imo permulta re vera etiamnum iis inesse; ac proinde Antiquitatis studiosis utilissimam eam esse Criticæ partem, quæ de emendatione agit. Aliorum, qui nihil legunt præter *Syste-*
mata

mata Theologica, aut ejusmodi libros, & de hisce rebus ex præconceptis temere opinionibus judicare audent, suffragia nihil moror. Neque nos eorum Scripta evolvemus; sed Juventuti, quæ ab illis decipi potest, succurrendum judicavimus.

C A P U T III.

De Mendis ex imperitia Dictantis ortis;

I. *quod litterarum ductus non adsequeretur.*

I.

QUÆ antea diximus, de variis rationibus, quibus menda nasci potuerunt, ea nunc sunt exemplis illustranda; quæ quidem in re, nobis facilius esset modum excedere, quam intra modum manere; si vellemus exempla congerere e Scriptis Criticorum superioris aut hujus sæculi, apud quos innumera omnium generum exstant. Sed hanc nobis legem imposuimus, ut fere ubique aut antiquiora dumtaxat, aut a nobis animadversa proferamus, & paucis contenti simus. Antiqua exempla non modo probabunt, quod volumus, sed & auctoritate eorum, a quibus ea accipiemus iis, qui quam maxime *νεωτέριες* nihil tamen nisi antiquitatem crepant. os occludent. In nostris vero, si peccemus, venia digniores erimus, quia conjecturas tantum proferre nos profitemur. Forte (nam & hoc monendum) contigisse posset, ut

ut conjecturæ hæ nostræ, ab aliis Criticis essent interdum occupatæ ; sicut accidit sæpe viris eruditis, ex quo Critica colitur, ut similia inscii protulerint. Neque enim semper plures editiones consulere potuimus, aut omnes Criticorum commentarios evolvimus, aut inspicere etiam licuit, vel omnium olim lectorum recordamur. Itaque si quid hic occurrat ab alio præceptum, non minus nostrum est, quam ejus, qui præcepit, quicumque sit. Si quis tamen felicioris forte conjecturæ gloriolam alii tribuere malit, id æquo animo feremus, & nobis occinemus illud Homericum

Τέτραδι δὴ κραδίη, καὶ κύντερον ἄλλο ποτ'
ἔτλης.

Cum vero ab initio hujus Opusculi Linguas Latinam, Græcam & Hebraicam conjunxerimus, ex tribus illis Linguis exempla passim petemus. Sequemur autem ordinem, quem antea Cap. I. in originibus mendorum adsignandis observavimus ; incipiemusque proinde a mendis, quæ ex vitio *Dictantis* orta sunt.

2. I. Cum nec omnes Librarii, aut quicumque exemplar, ex quo dictabatur Opus quoddam, scripserant, satis eleganter litteras pingerent, & vetustas ductus earum partim delere potuisset; non mirum est, si, qui dictabat, interdum male legeret, & perperam quiddam efferret. Tria ejusmodi erroris exempla profereamus, ex Præfatione *C. Plinii Secundi*, in *Historiam Naturalem*; quamvis possent etiam tribui

bui auri *Scribentis*; fateor enim persæpe non unam posse esse unius mendi originem. At nobis satis est, in re ejusmodi, si ea menda, non sine verisimilitudine, ex priore fonte manare potuisse judicentur. *Quod* & de ceteris exemplis, postea proferendis, semel dictum esse volumus.

3. In * *Parisiensi Editione*, aliam enim, cum primum hæc scripsimus, non inspexeramus, ita loquitur *Plinius*, de suis collectaneis: *Viginti milliarum rerum dignarum cura* — *ex lectione voluminum circiter duum millium, quorum pauca admodum studiosi attingunt, propter secretum materie, ex exquisitis auctoribus centum, inclusimus triginta sex voluminibus, ABJECTIS rebus plurimis, quas aut ignoraverant priores, aut postea invenerat vita.* An ergo *Plinius* quæcumque priores ignoraverant, aut quæ vita invenerat, post illorum ætatem, *abjecit*; ut nihil profus diceret, nisi quod ante ipsum litteris mandatum esset? An timuisset sibi vitio verti, si quid scriberet, quod in priorum monumentis dudum non legeretur; cum id laudari soleat, in omnibus Scriptoribus, & maximopere omnes facere nitantur? Non opinor, imo vero contrarium liquet ex hoc opere, ubi innumera † suo ævo reperta memorat, quæ a nemine forte umquam scripta erant. Itaque lege ADJECTIS, atque in.

* *Ann. 1685. in usum Dci pbini.*

† *Scripti sine dubio primis, quæa habet Lib. XVIII. C. 29. De Treverico agro.*

intellige eum *adjecisse* iis, quæ antea scriptæ fuerant, *res plurimas, quas aut ignoraverant priores, aut postea invenerat vita.* * Forte dictantem ad finis figura B & D in litteris Romanis decepit, quæ, ductu interiore litteræ B deleta, non multum abijt a figura τ & D.

4. In sequentibus verbis mendum etiam esse videtur, haud multo minus manifestum: *Nec dubitamus, inquit, multa esse, quæ nos præterierint. Homines enim sumus, & occupati officii, subcivisqve temporibus ista curamus, id est, nocturnis, ne quis vestrum putet HIS cessatum horis. Dies vobis impendimus, cum somno valetudinem computamus.* Sic in MS. legerat *Jac. Dalechampius*, sic edidit *Joan. Harduinus*. Frigidum omnino est illud: *nequis vestrum putet bis cessatum horis*; legendumqve prorsus videtur SUIS, ita ut *Plinius* hoc velit: *nequis vestrum putet, ut hæc scriberem, me cessasse ab officio, quod suis horis a me expectare potuit, scitote me nocturno tempore hæc scripsisse. Plinius* ita tempus suum descripserat, ut nec amici qveri possent *suas horas*, quas, nempe, officii ipsis exhibendis impendere eum oportebat, in studiis ab eo collocari. *Hora illæ, quæ hic spectantur, erant hora, exempli gratia, salutandum Cæsaris & magistratum, & hora, quæ causæ dicebantur, de quibus Martialis Epig. Lib. IV. Ep. 8. ubi curas totius diei describit:*

Prima

* Vide hujus ipsius Cap. 5. 12. unde liquet mendum esse Editionis, *Harduiniana*.

*Prima salutantes, atque altera distinet hora,
Exercet raucos tertia caussidicos.*

Vide *Plinium* juniorem in Ep. V. Lib. III. ubi de vita avunculi sui, quæ Epistola mire hæc ejus verba illustrat.

5. Est in eadem præfatione tertius locus, in quem mendum irrepfit, ut videtur, eodem modo; idque eo facilius, quod Librarii vocem non adsequerentur. ubi ita *Plinius* de historia a se scripta: *Nos quidem omnes, Patrem, te, fratremque diximus, opere justo; temporum nostrorum historiam orsi, a fine Ausidii Bassi. Ubi sit ea quæres? Jam pridem peracta SANCITUR.* Conjecit nuperus editor *Plinii Harduinus, sarcitur*, quod interpretatur: *revocatur, retractatur, adcuratius eliminatur.* Certe is videtur esse oportere sensus *Plinii*; sed *sarcire* hoc non significat. Malim SARRITUR, voce petita e re rustica, & quæ significat sarculo noxias aut inutiles herbas evellere; ita ut velit *Plinius*, se perfecisse quidem historiam, sed eam veluti *sarriendam*, hoc est, inutilibus aut falsis circumstantiis liberandam. De *sarritione* ipse multis egit Lib. XVIII. Capp. 21. & 26. Novam fateor esse metaphoram, sed similes passim, & audaciores etiam in *Plinio* leguntur.

6. Ut exempla nonnulla e Græcis adferamus, mihi videtur locus *Platonis*, initio Phædri, eodem modo corruptus, quod literæ in media voce dictantis oculos fugerint. Postquam Socrates explicuit fabulam, de Orithyia a Borea rapta,

rapta, quaſi ſeptemtrionalis venti impulſu de-
 lapſa & mortua eſſet, ſubjicit: ἐγὼ ᾧ, ὦ Φαῖδρε,
 ἄλλως μὲν τὰ τῶν αὐτῶν χαρίεντα ἠγῶμαι· λίαν
 δεδένειν ἢ ἐπιπόνειν, ἢ ἔπανυ εὐτυχῆς ἀνδρῶς, κατ'
 ἄλλο μὲν ἔδεν, ὅτι δι' αὐτῶν ἀνάγκη μετὰ τῆς το
 τῶν Ἰπποκενταύρων εἶδ' ἔπανορθῶσθαι, ἔ
 αὐτῶν τῆς Χιμαιρας. καὶ ἐπιρῶει ἢ ὄχλ' τοι
 ἔτων Γοργόνων καὶ Πηγᾶσων ἢ ἄλλων ἀμηνχάνων
 πλῆθ' ἔτε καὶ ἀτοπία τερατολόγων τινῶν φύσεων,
 αἷς εἴτις ἀπιζῶν πρόσβῆα κατὰ τὸ εἰκὸς ἕκαστον,
 ἄτε ΑΓΡΟΙΚΩΙ τινὶ σοφία χρῶμεν', πολλῆς
 αὐτῶν σχολῆς δέησθ'. ego autem, o Phadre, ingeni-
 oſa quidem illa exiſtimo, ſed hominis acerrimi & la-
 boris patientiſſimi, nec valde felicitis; non alia de
 cauſa, quam quod ei poſtea neceſſe ſit, formam Cen-
 taurorum, ut & Chimerae, emendare. Confluit &
 turba ejuſmodi Gorgonum & Pegaſorum, & alia-
 rum, quae eſſe nequeunt cum multitudine, tum ab-
 ſurdiſſimate, monſtroſarum naturarum. Quibus ſi quis
 non credens diligentiam adhibeat, ut ſingula quem-
 admodum par eſt, interpretetur, RUSTICA qua-
 riam ſapientia uſus, otio nimium indigebit. Ne-
 minem eſſe puto, qui intelligat, cui uſui ſit ru-
 ſtica ſapientia, ad inveniendum fabularum la-
 tentem ſenſum, & abſurdas narrationes ad re-
 ctam rationem ac veriſimilitudinem arguta in-
 terpretatione revocandas. Certe Stoici alii-
 que Philoſophi, qui talia adgreſſi ſunt, non vere-
 bantur, ne propterea rus redolerent. Plato ipſe
 aliquando idem facit, & antea haec interpre-
 tamenta χαρίεντα vocat, hoc eſt, ingeniouſa &

scita. Contra ἀγροῖξ *illegitimum & parum scitum* sonat. Sed legendum ΑΓΡΕΥΤΙΚΗΣ τινὲ σοφία, *venatoria quædam peritia*; quæ, nimirum, vir sagax evanida veri vestigia sequutus id a fictionibus poetiis acute secernat. Tralaticio sensu ἀγρεύειν Græce & *venari* Latine significant diligenter & sagaciter quærere, ut quævis Lexica docebunt. Eodem etiam tralaticio significato, non raro occurrunt, apud ipsum *Platonem*, & *Xenophontem*, ἤνευ & ἤνευω, quæ proprio sonant *venari*. Cicero ait *physicum esse venatorem, speculatoremque naturæ*. Ἀγρευτικὸς in vetere Onomastico vertitur *captiosus*, hoc est, capiendi cupidus & peritus; quo factum, ut *Eustatbius* Dianam vocet * ἀγρευτικὴν, quemadmodum observavit *Henr. Stephanus*, qui nullum aliud exemplum vocis adfert. Vox est, fateor, paulo rarior, sed analogicam esse ἀπὸ τῆ ἀγρευτῆ, *a venatore*, nemo negarit; & ideo, quia rara est, deletis mediis litteris, a dictante legi non potuit, estque in aliam absonam mutata. Ea tamen etiam utitur *Scholiastes Pindari*, ad *Pyth. Od. IX.* ubi ἀγροτέρων interpretatur τὴν ἤνευτικὴν καὶ ἀγρευτικὴν vocibus profæscriptorum, cum ἀγροτέρα sistantum Poëtarum.

7. Insignem locum *Theophrasti Charact. Cap. III. de Adulatione*. omiſſa in medio litterula corruptum, emendabimus, ubi describens adulatorem: *Jam vero*, inquit, interprete *Casaubono*, *si aliquid dicat ille* (cui adulator vult blandiri)

* *Ed. Rom. pag. MCLXVII. l. 8.*

diri) *silentium omnibus imperare, καὶ ἐπαίεσθαι ἄλλοις, & laudare invicem.* Quod frigidum est, & locum hic non habet, quo tactum, ut *Cassaubonus* suspicatus sit, legendum ἀκούοντες & αὐδiente, verteritque in os laudare. At legendum ἀκούοντες, tacentem. Non modo silentium imponit aliis, si loqui velit, & loquutum laudat adulator; sed etiam non loquutum, quasi silentium illud esset prudentiæ indicium. Vox ἀκούων eo sensu frequens est, apud *Homerum*. Ejusmodi adulationis exemplum accipe ex *Ovidio*, Ponticorum Lib. II. El. 5. ubi ita Germanico adulator:

Dumque silens adstat, status est vultusque dis-
ferti,

Spemque decens, docta vocis, amictus habet.

Mox, ubi pulsa mora est, atque os caeleste loquu-
tum,

Hoc Superos jures more solere loqui.

Optimos Scriptores, etiam in prosa, interdum *Homericas* voces usurpare notum est, vel ex indice *Xenophontis*, ab *Æmilio Porto* confecto, & iis, qui *Platonem* legerunt.

8. Alterum locum ejusdem Scriptoris emendabimus, in *Charactere τῆ ἀρέσκῃ*, hoc est, hominis, qui urbanitate, & cultus, vitæque elegantia omnibus placere nititur. Mendum inde ortum, quod initium vocis, aut non satis eleganter scriptæ, aut vetustate fugientis oculos, adsequutus non sit, qui hunc libellum dictabat.

Ait ergo *Theophrastus*, Cap. VI. ejusmodi hominem *longinqviore spacio salutare* & *virum appellare præstantissimum*; tum subdit καὶ θαυμάσας ἰκανῶς ἀμφοτέραις ταῖς χερσὶ μὴ ἀφιέναι, quod vertit *Casaubonus*: *fortunamque ejus admirari soleat, & utraqve manu prehendens non dimittat.* Sed de fortuna & prehensione nihil *Theophrastus*, nec vocem ἰκανῶς expressit *Casaubonus*. Sensus tamen partim vidit. At legere debuit: καὶ ἀσπάζσας ἰκανῶς ἀμφοτέραις ταῖς χερσὶ μὴ ἀφιέναι, & *complexus diu utraqve manu, nondum dimittat.* Hanc nostram emendationem iterum *Homerus* confirmabit. Sic ille *Odyss. Γ. vers. 35.* de Nestore & Pylis, hospites Telemachum & Mentorem excipientibus:

Οἱ δ' αἰς ἔν ξείνης ἴδον, ἄθροοι ἤλθον ἅπαντες,
 χερσὶν τ' ἠσπάζοντο, καὶ ἐδριάσθαι ἀνωγον.

Illi igitur, ut viderunt hospites, confertim omnes venerunt, manibus vero amplexabantur & jubebant sedere. Docet Eustathius idem esse ac περιπλέκεσθαι, circumfundere brachiis.

9. Hisce exemplis, e Latinis Græcisqve Scrip-
 toribus, Hebraïca nonnulla, prout pollicitus
 sum, adjiciam. Deut. XXXIII, 23. Moses ita
 Nephthalin adloquitur: O Nephthalis, qui sa-
 tur es favore, plenus benedictione Jehovæ, occasum
 & meridiem (מִן הַיָּם הַיָּבֵיטָה) jam vedarom) posside.
 At Nephthalitæ obtinuerunt agros in septem-
 trionali Chananæ tractu sitos, nec in ejus tra-
 ctus occidentali parte, nam eam habuerunt A-
 feritæ.

feritæ. Viri docti ita interpretantur, Nephthalitas habuisse agros ad occasum & meridiem spectantes; si comparetur eorum situs cum situ urbis, quam Danitæ nonnulli ad Jordanis fontes occuparant. Danitis autem Moses, in proxime præcedentibus verbis, bene adprecatuſ erat. Si omnis Tribus Danitica iis sedibus confediſſet, poſſet hæc interpretatio ferri; ſed perpauci illi Danitæ a Moſe illic non reſpiciuntur, ut oſtendimus ad eum locum. Itaque legendum videtur, non, ut eſt in noſtris Codicibus, **ים וריים** ſed **ים מרום** jam merom, *mare Merom*, hoc eſt, lacus, qui ita vocabatur, & cinctus maxima ex parte fuit Nephthalitarum agris. Vide, quæ illic notavimus. Facillime potuit וי miſceri cum מ, ſi ductus litterarum minus adcurati erant. Fateor, in Aſſyriaca ſeu Judaïca Scriptura, majorem eſſe ductuum ſimilitudinem, quam in Samaritica ſive Phœnicia; ſed in hæc etiam litteræ, minus bene ſcriptæ, præſertim in nomine proprio, facile potuerunt legentem fallere; & poſſet fieri, ut Samaritarum Critici ex Judaïco Codice ſuum emendaſſent.

10. Ad eandem mendorum claſſem referri poſſunt multa nomina propria Hebraïca, quæ in verſione LXX. Intt. male ſcribuntur; cum non ipſis Interpretibus, qui legere poterant Hebraïce, ſed Græcis Librariis ſolis tribui queant. Sæpe hac de re queritur *Origens*, sæpe

Hieronymus. Cum, nempe, nomina propriè minus claris ductibus essent exarata, nec a Græcis Librariis legi possent, ea mirum in modum mutarunt. Non possunt enim mendii suspecti esse Hebræici Codices, qui semper eodem modo habent ea nomina scripta, & ut debent scribi ex ingenio Linguæ Hebræicæ. Vide *Origenis* loca adlata superioris Cap. §. 15. Illustriora duo nomina satis erit protulisse, nam ex minus notis innumera possunt exempla colligi, ut sciunt omnes, qui varias lectiones Versionis LXX. *Viralis* & *Josephi* inspexerunt. *Josua*, qui dicitur, in Judaïcis & Samariticis exemplaribus, *filius* יְהוֹשׁוּעַ num, a LXX. Intt. constanter vocatur *filius* יְהוֹשׁוּעַ. Sed omnino videntur scripsisse NAYN, cujus vocis cum posterius N non satis accurate pictum esset, mutatum in H a Librariis; quod mendium cum in aliquot antiquissima exemplaria, Alexandrinæ forte Bibliothecæ, admissum esset, per reliqua omnia recentiora propagatum est.

II. Nec mihi possum persuadere Prophetam בְּרַבְבַּקּוּק *habakkouk*, dictum a Linguæ Hebræicæ peritis אַבְרָהָם, quemadmodum vocatur in Codicibus LXX. Intt. Scripserant omnino illi ABBAKKOTK, sed tam barbarum nomen, forte nec sine litura scriptum in Archetypo, aut non satis eleganter, non adsequentus Librarius legit AMBAKOTM. Sic nomen proprium ABILIOC, secundi Alexandria Episcopi, mutatum in MILIOC, ut observat *Joan. Bar.*

Core-

Cotelerius in Constitut. Apost. Lib. VII. c. 46. num. 21. in Ed. Amstelodamensi. Si invertatur, nempe, B, ut sinister ductus fiat superior, & deleantur aliquantum hemicyclorum mediæ partes, fit M. Eamdem litteram facies, si K uno atqve altero ductu augeas.

12. Cum jam ad Typothetam missa essent superiora, inspexi in Bibliopolio Editionem Dalecampianam in 8. ut vocant, deinde & majorem in folio, & vidi recte in ea scriptum esse, in loco primo *Plinii* antea adlato, *adjectis*. Itaque *abjectis* mendum erit aut Editoris, aut Typothetæ Parisiensis, quod tamen in Erratis omissum. Nihilominus scripta mutare nolui, ne in iterata quidem Editione; quod exemplum non multo minus adpositum sit, ad ostendendum, errare posse Librarium, dum male legit. Quidni enim contigerit Librario, quod viro erudito, *Joanni Harduino*, contigit? Præterea hinc discet Lector, non esse semper elegantibus & ornatis editionibus credendum; sed si quid certo scire velimus, exemplarium ἀντιβολὴν esse instituendam.

 C A P U T IV.

*De Mendis ex imperitia Dictantis ortis:
2. quod ad fines figura litteras, ductusque
similes miscuerit.*

1.

DICTANTEM fallere potuit, ut modo videbamus, ductuum & litterarum adfinitas; ne-

C 4.

que

que hoc tantum factum in nominibus propriis Lingvæ Librariis ignotæ, qvalia proferebamus, sed & in notiore Lingvæ, vocibusq; frequentissimis, cujus rei exempla passim suppeditant Critici. Conferant studiosi harum rerum Glossaria Latino-Græcum, & Græco-Latinum *Henr. Stephani*, postea a *Bon. Vulcanio* & *Car. Labbeo* edita, innumeraque exempla in iis ejusmodi hallucinationum invenient. Nos pauca ex iis, quæ observavimus, atque ex optimis Scriptoribus, omissis alienis, proferemus. Sed & subinde conjecturas nostras ex Glossariis illis confirmabimus; quia in iis menda manifestiora sunt, cum ob ordinem *Alphabeticum*, tum etiam ob additam interpretationem Græcam, aut Latinam. Quod ante nos factum postea vidimus a *Joan. Passeratio*, libro de *Litterarum cognatione & permutatione*.

2. Adfinis est figura litterarum N & M. præfertim si scribentis incuria aut pennæ errore superior pars dextri ductus τ̄ N aliquantum inflectatur ad inferiorem, aut simile quid accidat. Ideo aliquando mistæ sunt. *Glossæ Veteres*: *Capreus, rimus* (lege *prinus*, aut *rinus*, hoc est, *caprinus*, repetita ex antecedente voce syllaba ca) αἰγελῶ. Infra; *caprina*, αἰγελῶν, αἰγελῶν. In iisdem *Glossis*, aliisque Veteribus libris, est *collimare* συχάζεσθαι, quæ vox suspecta est nonnullis; qui putant, ubique scribendum *collineare*, a *linea*, quod in *Glossis* proxime sequitur. At alii volunt dici *collimare*, quod

id

id fiat *limis oculis*. Prius defenditur loco Q. *Claudii Quadrigarii*, apud *A. Gellium* Lib. IX, 1. quod probat *J. F. Gronovius* in notis ad locum & *Chr. Becmannus*, in *Origin. Lingvæ Latinæ*; posterius placet *J. G. Vossio*, in *Etymologico*. Alterutra opinio erit vera, hinc sequetur N pro M, aut M pro N multis in locis scriptum fuisse. Sic *Livius* Lib. II. c. 58. ubi describit contumaciam exercitus *Ap. Claudio* ægre parentis, quod hic se plebis Romanæ inimicum profiteretur: *Si citius agi vellet agmen, tardius sedulo incedere; se adhortator operis adesset, omnes sua sponte MORTAM remittere industriam*. Imo vero NOTAM, ita ut liquidum esset data opera, non natura, segnes esse, quod alioqui nota esset eorum industria. Sic *Nepos* in *Cimone* Cap. III. *Confestim NOTÆ ejus virtutis desiderium consequutum est*. Sic *Phædrus* Lib. I. Fab. IX, inducit pastorem sic adloquentem leporem captum ab aquila:

— ubi pernicitas

NOTA, inquit, illa est? Quid ita cessarunt pedes?

* *Gaspar Scioppius*, cui debemus, ex parte dispositionem hujusce Sectionis Criticæ nostræ, animadvertit etiam in *Critica* sua, sæpe N & M misceri.

3. Sed & alterum exemplum ex *Livio* addemus. Ita ille loquitur Lib. X. c. 25. *Inde nusquam stativa Romanis fuere; negabat (Q. Fabius Consul) utile esse uno loco sedere exercitum; itin-*

C 5

ribus,

* *Adi & Joan. Fred. Gronovium* *Observ. Lib. I. c. 15.*

ribus, ac mutatione locorum, NOBILIOREM, ac salubriorem esse. Scribo MOBILIOREM, hoc est, εὐκωντότερον, mutatione enim locorum non fit nobilior exercitus, sed mobilior; quia aduetus itineribus facilius movetur, quam qui in præfidiis torpescit. Curtius Lib. IV. c. 14. §. 16. ita loquentem Darium inducit: nostrum mobile & expeditum agmen est, illius prædâ grave.

4. Vicissim, apud Sallustium, in Bello Catilinario Cap. XLIX. occurrit mobilitas pro nobilitate, ut ante nos animadvertit G. Scioppius in Critica. Nonnulli, ait Sallustius, equites Romani, qui præsidii causa, cum telis erant circa eadem Concordia, seu periculi magnitudine, seu animi mobilitate impulsæ, quo studium suum in Rempublicam clarius esset, egredienti ex Senatu Cæsari gladio minitabantur. Postrema verba ostendunt nobilitate veram esse lectionem. Ceteroquæ mobilitas animi inconstantiam significat, cujus incusari non poterant hi equites; quæ antea nec amici Cæsari, nec infensi Reipublicæ fuerant. Igitur hic intelligenda ea animi adfectio, quæ nobiles viros deceret. Sic Medea, apud Ovidium, Metam. Lib. VII, 44. de Jafone:

— Sed non is vultus in illo,

Non ea nobilitas animo est, ea gratia forma,
Ut timeam fraudem, &c.

Idem Lib. 2. ex Ponto Elegiam II. ita orditur:

Maxime, qui tanti mensuram nominis implet,
Et geminas animi nobilitate genus.

Vide

Vide etiam ad locum *Sallustii*, quæ habeat vir doctissimus *Jos. Wasseus*.

ς. Quod si M & N. miscentur, multo facilius M & IN vel NI, confundi potuerunt, quod revera contigisse aliquot exempla ostendent. *Glossæ* veteres habent: *Abstēnis*, νηΦάλιϞ, ὁ ἀπέχων οἶνϞ. Primum, pro *Abstēmius* scriptum *Abstēmis*, ut est in Cod. S. Germani, deinde *Abstēnis*. *Livius* Lib. I. c. 29. ubi describit, quæ ratione Romanorum Rex Tullus Albanos Romam transtulerit, post supplicium de *Mettio Suffetio* sumtum, dum Albanus exercitus inermis ab Romanis armatis cingeretur: *Inter hæc*, inquit in Gronoviana Editione, *jam præmissi ALBANI erant equites, qui multitudinem traducerent Romam. Legiones deinde ductæ, ad diruendam urbem.* Non ea erat stultitia Tulli, ut Albanos equites mitteret, ad delendam suam ipsorum patriam, & suos invitos Romam ducendos. Intellige ergo equites Romanos, & lege ALBAM: quemadmodum postea animadverti habere alias Editiones. Certe *Dionysius Halicarnassæus* huic lectioni manifesto favet, hoc enim ipsum ita describit, *Ant. Rom. Lib. III. p. 172. EN ᾧ ἵ ταῦτα ἐγένετο χρόνω, ΜάρκϞ ὈράτιϞ ὁ προεσαλμείνϞ μετὰ τῶν ἐπιλέκτων ἐπὶ τὴν καθαίρεσιν τῆς Ἄλβας, ταχέως διανύσας τὴν ὁδὸν καὶ καταλαβὼν πύλας τε ἀκλείσας καὶ τεῖχϞ ἀφύλακτον εὐπετῶς γίνεται τῆς πόλεως κύριϞ: inter hæc M. Horatius præmissus cum delectis, ad diruendam Albam, celeriter confectio itinere-*

itinere, portas patentes & incustodita mœnia occupat, facileque urbe potitur.

6. Plane mihi persuasi *Lactantii* Lib. II. in præfatione, pro IN positum esse M. *Gestio enim, inquit, Constantine Imp. convictis MANIBUS, & hominum impia vanitate detecta, singularis Dei adferere majestatem.* Nam Legendum omnino videtur INANIBUS nempe, *Diis*, qui rectius opponuntur *singulari Deo*, quam *manes*; etsi non diffiteor, *Lactantium* ostendisse, Deos Ethnicorum esse *manes*, id est, homines mortuos.

7. Aperiam hic suspicionem de loco celebri *Terentii*, quem similiter corruptum opinor. Is est in *Phormione* Act. II. S. I. v. 75. *Demipho, auditis filii nuptiis de absente factis, stomachans inducitur hisce verbis:*

— non, non sic futurum est, non potest.
Egone illam cum illo ut patiar nuptam unum diem?
Nihil suave MERITUM est.

Adi, si libet, Interpretes frustra in hisce postremis verbis insudantes; tum vero cum iis, quæ legeris, confer hanc nostram conjecturam: *Nihil Suave NICITUM est*, hoc est, ut beneficium suave non est, nisi cito fiat: sic nec ultio grata est, nisi cita sit. Hæc egregie concordant cum superioribus, in quibus *Demipho* negat, se vel unum diem passurum filio nuptam esse *Phanium*; habentque aliquid *παροιμιῶδες*, quod Græce non male dixeris: *ἤδὲ μηδὲν, εἰ μὴ ταχύ.*

8. Græci Librarii similia frequenter peccarunt, ut viri docti ostenderunt. Unum atque alterum exemplum proferam, & prius quidem ex *Arriano* Lib. VI. p. 132. Edit. *Henr. Stephani*. Sic loquitur de temeritate Alexandri: ὑπὸ μέγας τε τῶ ἐν ταῖς μάχαις, καὶ τῶ ἔρω-
 τῆς δόξης, κατὰ περιεὶ ἌΛΛΗΣ τινὸς, ἐ-
 ζητῶμεν, & καρτερός ἢ ἀπέχεσθαι τῶ κιν-
 δύνων: fortitudini in præliis & amori gloriae, tan-
 quam alii cuidam, temperare nescius non poterat
 abstinere à periculis. Manifestum quidem men-
 dum est, nam ἄλλη nihil hoc in loco sonat;
 sed quid scripserit *Arrianus*, non ita liquet. At-
 tamen scribendum crediderim ΟΛΚΗΣ, hoc
 est, adractioni, quæ dicitur * de vi quadam,
 quâ, veluti occulto pondere, trahimur ad
 ea, quæ sunt indoli nostræ consentanea. Pri-
 mum K resecto dextro cornu visum est esse Λ,
 deinde cum ὄλλης nihil significaret, mutatum
 in ἄλλης, quæ Græca quidem vox est, sed hoc
 in loco sensu caret. Hisce editis, *Grunnius*,
Arriani editor, contumeliose me invasit, ob-
 tentatam hujus loci emendationem; quia *Sui-
 das*, qui eum, omisso nomine Scriptoris, pro-
 tulit, habet οἱ ἄλλης τινὸς ἡδονῆς ἢ τῶ ἰώμενοι ut
 ii qui aliâ quâpiam voluptate victi sunt. Quæ
 lectio si melior judicaretur, non esset, quod
 meæ me puderet conjecturæ, quæ est propior
 lectioni omnium MSS. nec sensum minus
 commodum parit. In conjectura errare li-
 cet

* Vide *Henr. Stephanum*; ad hanc vocem, in *Thesauris*.

cet & labi, non in iis, quæ pro imperio aliis imponuntur. Sed me defendit amicus, qui se *C. Veratium Philellenem* vocavit, & cujus Epistolam inserui *Bibliotheca Selectæ* Vol. IX. nec conviciis, quæ reposuit *Corocotta*, ut sententiam mutem, moveor.

9. Alterum erit ex Constitutionibus Apostolicis Lib. II. c. 20. ubi de officio Episcopi, inter alia habetur, τὸ κατεαγμένον ἐν ἀμαρτίας εἰς χαλῶν ὁδῶν ΕΠΙΔΕΝΝΩΝ, διὰ παρακλητικῆς νεφελίας, vertit *Joan. Bar. Cotelerius*: peccatis fractum, ut in via claudicet, vinciens per exhortationem consolatoriam. At tamen, in indice, retinuit eam vocem, quæ Græca non est, & quæ sine dubio est pro ΕΠΙΔΕΣΜΩΝ, *ligans*. Sic in loco Ezekielis XXXIV. qui adfertur ejusdem libri Cap. XVIII. συντετριμμένων & κατεδήσατε, *fractum ovem non ligastis*. Sic & Cap. XLI. eadem de re: μὴ μόνον τέμνων ἢ καιῶν, ἢ ξηρία τροσφέρων, ἀλλὰ καὶ ἐπιδεσμῶν, καὶ μοτῶν, καὶ ἐνιείς γλυκέα φάρμακα ἐπιλαττικά, καὶ καταβρέχων λόγοις παρακλητικοῖς non solum *secans, aut urens, aut sicca & mordacia remedia adhibens; verum etiam adligans, & linamentum indens & immittens pharmaca lenia, & detergentia, ac irrigans verbis consolationis.*

10. Apud Hebræos, valde ad fines sunt litteræ ב & כ, *beth & caph*, א & נ gimel & nun, י & ל, *zaiin & vai*, ד & ר, *daleth & resch*, nec multum inter

inter se differunt א & ע, *tsade & hajin*. Itaque mirum esset numquam inter se a Librariis mixtas. Certe sunt exempla cum in Judaïco, tum in Samaritico Pentateucho, ex quibus liquet, Librarios sæpe eas confudisse. Sic Gen. X, 4. qui dicuntur in Judaïcis exemplaribus דודנים *dodanim*, in Samariticis, ut & 1. Paral. I, 7. dicuntur רודנים *rodanim*, quam posteriorem lectionem veram judicavit *Sam. Bochartus*. At nos priorem, non sine gravi ratione, prætulimus. Sic Gen. XLIX, 10. pro רגליו *raglau*, *pedibus ejus*, Samarita habet דגליו *daglau* *vexillis ejus*, quod melius visum viro doctissimo *Jobo Ludolpho*; ut testatur in singulari Diatribe, quam de hoc loco edidit. Neque nos ab hac sententia abhorremus, quamvis ceteroquæ Judaïcum Codicem Samaritico præferamus. Possent & alia plura exempla proferri, sed nos indicem variarum lectionum non scribimus, & adlata quod diximus satis confirmant. Quisquis talia avebit *Lud. Cappelli* Criticam Sacram adeat, quæ sat multa suppeditabit, per omnes litteras Alphabethi.

10. Potuissimus etiam in aliis Lingvis similes alias inter se litteras conferre, ut fecit *Joan. Passeratius* in libro *de Litterarum inter se cognatione & permutatione*, quem sequutus est *Gasp. Scioppius*, in sua *Critica*; sed necesse esse non judicavimus, cum paucis exemplis res æque demonstraretur ac pluribus, præterquam quod & alia in sequentibus adferentur.

CAPUT V.

De Mendis ex Dictantis negligentia ortis.
 3. quod omiserit, quæ erant inter eandem vocem repetitam, aut in alio verborum situ.

I.

DUM varia opuscula, quæ cum Gallice, tum Latine ab hisce viginti quinque & pluribus annis edidi, ipse corrigerem; in speciminibus, quæ madida à prælo ad me adferebantur, sæpissime animadverti Typothetam omisisse, quæ erant inter eandem vocem interposita, si repeteretur in altero versu; aut etiam, sine ulla ejusmodi occasione, voces aliquot præterisse. Non semel hoc in animum revocavit, quæ legeram, apud viros eruditos, de omissionibus in Veterum monumentis, quas eodem modo contigisse credibile est. Qui dictabat, nimirum, interdum aliud agens, a motis oculis à libro, ex quo dictabat, cum oculos denuo ad exemplar suum converteret, & incideret in vocem, ad quam dictasse se sciebat, ab illa iterum incipiebat dictare, non animadvertens eam repeti, adeoque omittebat, quidquid intercesserat. Poterant & innumera alia incidere, quæ, dum interpellarent Dictantis animum, faciebant, ut quidpiam omitteret.

2. Livius Lib. X. c. 14. ubi describit acerrimum prælium à Romanis cum Samnitibus commissum, ait; Q. Fabium Maximum Consulem, cum vidisset, ne viam quidem Equitum quidquam profecisse, ratione grassandum esse ratum; itaque iussisse Scipionem legatum hastatos primæ legionis subtrahere ex acie, & ad montes proximos, quam posset occultissime, circumducere. In medio vero pugnæ ardore, *improvise*, inquit, *ex montibus signa, clamorque sublatus non vero tantum metu terruere Samnitium animos.* Lego non vero tantum MOTOS metu terruere Samnitium animos. Hoc vult Livius, Samnites & adversus legiones, & adversus incitatas turmas immotos stetitisse, quamvis vera esset metuendi causa; nec tantum timuisse, quantum falso illo metu pauculorum hastatorum. *Motos* videtur omisum, quia qui dictabat, animo non satis adtento, aut errantibus oculis, hanc vocem miscuit cum sequente *metu*. At sensus eam, aut similem postulat; nam frigidum est dicere, signa Romana in montibus prospecta terruisse Samnites, *non tantum vero, sed etiam falso, metu.* Quis credat, Livium, Scriptorem nequaquam languentem aut frigidum, præsertim in pugnarum descriptionibus, ita loquentum? Profecto hoc noluit, sed Samnitium animos non usque adeo motos fuisse signis infestis legionum, aut equestri procella, qua eorum ordines turbare conatus erat Fabius, quibus non sine ratione terreri potuis-

sens; quam falso illo metu, quem pauci hastati
 iis injecerunt. Hoc sequentia ostendunt: *nam &*
Fabius Decium collegam adpropinquare exclamavit,
& pro se quisque miles adesse alterum Consulem, ad-
esse legiones gaudio alacres fremunt; errorque utilis
Romanis oblatu fugæ, formidinisque Samnites im-
plevit, MAXIME TERRITOS, ne ab altero exerci-
tu integro, intactoque fessi opprimerentur.

3. Omissionis infigne exemplum proferemus
 ex *Theophrasti Characteribus*, è similitudine
 duarum vocum ortæ, quam mirum est *If. Casau-*
bonum supplere non potuisse, cum sit res facilis
 & clara. Locus est Cap. XV. in ἀνακωθισίας
 caractere. Ἦδύ γε τῶν Διὸς εἰπεῖν, ἠδύ γε τῶν
 ἀστρων νομίζε, ὅτι δὲ τοῖς ἄλλοις λέγεσσι ** πίσ-
 σης: ad verbum: *pluente Jove, dicere (solet)*
*suave astrorum putat, quia & alii dicunt ** pice.*
 Describit *Theophrastus* hominem, qui adeo ve-
 cors est, ut nesciat pæne quid dicat, & contraria
 iis, quæ videt, blateret, quasi deliraret, sicut ante-
 cedentia legenti liqvebit. Igitur suppleverim:
 ἠδύ γε τῶν ἀστρων ΦΩΣ. ΚΑΙ ΝΥΚΤΑ ΑΙΘΙ-
 ΑΝ νομίζειν, ΗΝΤΙΝΑ οἱ ἄλλοι λέγεσσι ΜΕ-
 ΛΑΝΤΕΡΑΝ πίσσης: *jucunda est astrorum lux; &*
serenam noctem putare, quam alii dicunt pice atrio-
rem. Quatuor priora verba omissa videntur adi-
 ctante, qui vagantibus oculis miscuit vocem
 ΑΙΘΙΑΝ cum ΑΣΤΡΩΝ, & cum κῶλον dictas-
 set ad vocem ἀστρων, troansvolavit interjectas
 dictiones. Illis corruptis, cetera minus forte
 eleganti manu scripta facile posteriores exscri-
 pto-